

speciei acquirendæ, sed quia datur latitudo positiva inter speciem, et speciem; similiter potest dari in ipso toto relatio totius ad partes, quæ tamen non est in ipsis partibus partialiter, et divisibiliter, cum potius partes habeant correlationem oppositam. Ac denique punctum terminat partes lineæ, nec tamen est in singulis partibus divisibiliter.

XIV. Ad secundum respondetur, quod tota subsistentia est in toto supponendo compositionem ex partibus, ut resultet modus ipse totalitatis, non tamen est tota subsistentia in partibus, nec partes subsistentiæ formaliter sunt in illis, sed solum est in partibus terminative, et mediate, quia omnes terminat afficiendo unico modo totum in eo, in quo unico, et totali modo terminabile est, et sub ratione totius afficit partes non per modum extensionis, et divisibilitatis sui, sed per modum terminationis, et unitatis, sicut in exemplis supra allatis ostensum est, et articulo quarto amplius ostendetur.

XV. Ad tertium dicitur quod modus totius ut distinguitur a modo partium est in toto sine divisione in partes, sed terminando totum afficit partes virtualiter in quantum constituunt ipsum totum, et præsupponuntur ad ipsum, non autem per illas se formaliter dividendo.

XVI. Ad quartum dicitur quod Verbum assumpsit partes ut sunt in toto, et constituunt totum, non autem partialem subsistentiam eis tribuendo, non enim minus dicitur Verbum, aut Christus, sed dando subsistentiam toti, etiam in illo partes intelliguntur assumptæ mediate, et prout in toto, non autem immediate, et per partialem subsistentiam. Videantur quæ diximus citato loco physicorum.

XVII. Deinde, objicies quia in

anima rationali datur subsistentia partialis, et communicabilis, separata non subsistit, et non tamquam totum, seu persona, ut D. Thomas docet in III, dist. v, q. III et ibid. ad Annibaldum, art. II ad IV et I part. q. XXIX, art. I ad V, ergo ut pars. Similiter in Deo ponunt multi theologi subsistentiam absolutam præter relativas, ut infra ostendetur in materia de Trinitate et non per modum suppositi, seu personæ, sed ut communicabilis tribus Personis, ergo non repugnat dari subsistentias partiales, quæ non constituent suppositum, sed terminum ultimum.

XVIII. Respondetur animam rationalem separatam, licet sit subsistens quantum ad hoc quod est existere independentem ab alio, quod in aliis formis, vel partibus substantialibus non reperitur (ideoque nec subsistentiam partialem habent in ratione termini incommunicabilis; neque existentiam per se in ratione independentiæ in essendo) adhuc tamen dicimus, quod subsistentia illa, seu existentia per se animæ rationalis non est subsistentia partialis, sic enim supponeret aliam partialem ex parte corporis, ut cum illa componeret unam tertiam totalem, et sic si ponimus subsistentiam partialem in anima ad componendum unam subsistentiam integram, necessario tenemur fateri etiam in corpore prout distinguitur ab anima dari subsistentiam partialem, quæ componat cum subsistentia animæ, et sic non erit proprium animæ habere subsistentiam per se, et existere separatam. Si vero in corpore non admittimus partialem subsistentiam, et tamen anima subsistit separata, necessario dicendum est totam subsistentiam hominis dari in anima, sed non totaliter explicari in anima, sed in communicatione ejus ad corpus, ibique

subsistere incommunicabiliter, quatenus non est amplius explicabilis, et communicabilis in aliud, ideoque anima separata non est persona, quia non est ibi subsistentia modo incommunicabili, eadem tamen subsistentia, quæ est in homine, est in anima, et eadem existentia, ut docet D. Thomas 1-2, q. IV, art. V ad II, ut ostendimus quæstione VII physicorum. citata. Et quando moritur homo manet quidem totum esse hominis in anima, sed non manet communicatum corpori, et hoc est hominem mori; nec manet illud esse animæ tamquam esse hominis, quia non est esse communicatum corpori, sicut Verbum divinum si dimitteret humanitatem, non amitteret esse, et subsistentiam simpliciter, sed ut communicatam homini, et ut humanam. Plura videri possunt loco citato.

ARTICULUS III.

Utrum existentia distinguatur ab essentia in creatis, et quomodo?

I. Supponendum est quid nomine existentia intelligamus, quia nisi in hoc conveniatur non potest difficultas ista intelligi, et explicari. Nomine erga existentia intelligitur communiter apud omnes illud, quo aliquid denominatur positum extra causas, et extra nihil in facto esse. Ad quod non sufficit denominatio aliqua extrinseca ex præterita productione proveniens, nec pura, et sola relatio dependentiæ ab agente. Et ratio utriusque est, quia existentia, seu esse est aliquid maxime reale, et intrinsece denominans rem existentem, si quidem nulla res dicitur existere nisi in se realiter extra causas ponatur, et per hoc quod habet tale esse maxime discernitur ab ente rationis, et a negationibus eo quod per exis-

tentiam ponitur extra nihil: ergo oportet quod sit aliquid reale in ipsa re existente, et consequenter non sit sola denominatio extrinseca, quia hæc nihil reale ponit in denominato. Neque existentia est relatio ad aliud, quia unumquodque dicitur esse in ordine ad se, in tantum enim existit, in quantum in se habet esse, imo ipsamet relatio, cuius totum esse est ad alterum non dicitur existere ratione ipsius ad, sed ratione ipsius in, quia unumquodque existit ad se non ad alterum.

II. Secundo, supponendum est existentiam hoc modo sumptam distingui a subsistentia, nec D. Thomam pro eodem sumere subsistentiam, et existentiam, in quo aliqui valde decipiuntur putantes D. Thomam pro eodem reputare existentiam, et subsistentiam. Imo aliqui qui negare non possunt in doctrina Thomæ existentiam, et essentiam realiter distingui in creaturis, dicunt tamen non sumi existentiam pro actualitate quæ res ponitur extra nihil, et extra causas, hanc enim dicunt non distingui ab essentia reali, seu posita extra statum possibilitatis, sed sumi pro eo, quod constituit rem per se, vel in alio existentem, et hoc modo distingui a D. Thoma ab essentia, quod est sumere existentiam pro modo subsistentiæ, vel inhærentiæ. Ita nuper Viescas supra I p. q. III, art. IV dub. XI et q. IV, artic. I, dub. III, in quo plane consentit his, qui extra scholam D. Thomæ non distinguunt existentiam ab essentia posita in re, neque enim ipsi sumunt existentiam, nisi pro actualitate reddente rem extra causas, ut videri potest apud p. Suarez, disput. XXXI met. sect. IV; Vazquez, III p. qu. XVII, artic. II, disp. LXXII, c. ultimo et alios, nec eam sumunt pro subsistentia, neque renunt concedere subsisten-

tiam distingui a parte rei ab essentia, et natura, cum constet naturam humanam esse in Christo sine subsistentia. Igitur apud D. Thomam manifestum est existentiam distingui a subsistentia, et utrumque ab essentia, nam D. Thomas tamquam distinctas difficultates disputat distinctionem existentiae ab essentia, et distinctionem suppositi, seu subsistentiae a natura; ergo non sumit pro eodem subsistentiam, et existentiam, nisi faciendo inutilem repetitionem. Patet hoc manifeste, nam in hac quaestione, articulo tertio, inquit an Deus distinguatur a sua natura, et resolvit in articulo in immaterialibus substantiis non distingui suppositum a natura, bene tamen in compositis. In articulo autem quarto inquit an distinguatur in Deo esse, et essentia, et resolvit, quod in omnibus creaturis distinguitur, non vero in Deo, existentia autem, et esse idem sunt, et si ibi loqueretur de esse essentiae falso diceret distingui ab essentia in creaturis, nam esse quod ab illa distinguitur solum est esse existentiae, ergo si in priori articulo sumeret subsistentiam pro existentia, vel in hoc articulo quarto, existentiam pro subsistentia, esset inutilis repetitio, et inconsecutio. Idem apparet in quodlib. II, artic. III et IV, nam in III inquit an distinguitur in Angelis essentia, et esse, in quarto autem an distinguitur suppositum et natura. Ergo non sumit existentiam pro subsistentia, vel e contra. Et idem videri potest in II, dist. III, q. I, art. I et II, ubi easdem difficultates tamquam distinctas supponit. Et hoc ideo est, quia in doctrina D. Thomae suppositum, seu subsistentia habet radicem in ipsa natura, oritur enim ex principiis ejus individualibus, ideoque S. Thomas semper fuit sollicitus distinguere suppositum, seu subsistentiam a natura in ipsa sua radice, id est,

in principiis individualibus, quae solum in naturis materialibus distinguuntur, non in immaterialibus, ut supra visum est. At vero existentia non habet radicem in ipsa natura, sed praecise advenit ei ab agente extrinseco, quia existentia ponit rem extra causas, et ita sequitur rei productionem, imo est ipsa productio in facto esse, ut constat ex hoc articulo quarto, ubi ostendit Div. Thomas existentiam in creaturis, neque esse essentiam, nec partem essentiae, nec proprietatem, sed ab extrinseco venire. Constat etiam quod existentia est communis accidenti, et substantiae, subsistentia non, ergo non potest sumi a D. Thoma existentia pro subsistentia. Denique, magnum inconveniens est, quod D. Thomas perpetuo loquatur cum hac improprietate, abusione confundendo existentiam cum subsistentia, nec discernendo quomodo unum distinguatur ab alio, sed semper quod tractat de existentia divertat ad subsistentiam, et relinquat insolutam illam difficultatem, quomodo esse existentiae secundum se distinguitur ab essentia, si solum distinguit subsistentiam, non autem existentiam, quae solum praebet esse extra causas, et in communi sensu auctorum pro alio sumitur existentia quam subsistentia. Et praesertim, quia D. Thomas docet existentiam, seu esse recipi in supposito, seu hypostasi, et non in natura, nec loquitur de esse essentiae, quia hoc est ipsamet essentia, seu natura, et invenitur in humanitate assumpta, in qua tamen secundum Div. Thomam non datur esse existentiae proprium. Similiter docet in Deo dari unum esse et tres subsistentias, seu Personas, si autem sumeret existentiam pro subsistentia diceret dari in Deo unam subsistentiam, et tres subsistentias. Similiter idem esset dicere, quod existentia reciperetur in sub-

sistentia, ac dicere, quod existentia recipitur in existentia, quae est batologia. De hoc autem videri potest III p. q. XVII, artic. II et quodlib. IX, art. II, et aliis locis ubi docet, quod esse pertinet ad hypostasim.

III. Denique, supponendum est, quod difficultas non consistit in hoc, an essentia creata in statu possibilitatis differat ab existentia, sic enim constat, quod status possibilitatis habet carentiam existentiae, et consequenter debet ab illa distingui saltem tamquam privatio seu negatio, et forma positiva, sed difficultas est, an essentia adhuc in statu actualitatis differat ab existentia, per quam redditur actualis, ita quod licet totum hoc complexum essentia actualis, non possit distingui ab existentia tamquam ab aliquo, quod sit distinctum a toto illo complexo, sed se habeant ut includens, et inclusum, tamen in ipso complexu difficultas est, an duplex entitas concurrat, altera essentiae, quae recipiat existentiam, altera existentiae, quae reddit illam actualem; sicut corpus album non solum remota albedine, sed etiam dum est sub illa distinguitur ab albedine, per quam redditur album; et existens, quod res existens remota existentia desinit omnino, et manet nihil, corpus autem remota albedine manet existens, et ita ibi facile dignoscitur quomodo ab albedine distinguatur realiter: respectu vero existentiae non ita facile apparet, quod ab illa distinguatur aliqua entitas, quae vocatur essentia, quia solum invenitur actu quamdiu est sub existentia, illa vero remota, essentia manet nihil, et solum objective, in statu possibilitatis. Et ex hoc aliqui intulerunt non posse distingui essentiam, et existentiam nisi sicut nihil, et ens, et sicut res in statu possibilitatis, et ipsamet in statu extra causas; quod autem etiam dum es-

sentia existit, distinguatur ab existentia, ita quod alia realitas sit existentia, alia essentia, licet una sine alia nihil sit, haec est tota difficultas. Sufficit ergo videre an ad hoc quod essentia sit actualis, et in rerum natura ponatur, requiratur duplex entitas, altera quae vocatur essentia, et recipit existentiam, altera quae sit forma, seu formalitas aliqua actuans illam, an vero sufficiat unica entitas, quae ut producta ab agente dicitur existens, ut producibilis autem, et in statu possibilitatis dicitur essentia objective possibilis.

IV. In hac ergo difficultate, ostendimus indicta quaestione VII physicorum, ex mente Div. Thomae existentiam distingui realiter ab essentia, et non solum ratione juxta Durandum, et alios recentiores, vel distinctione formali juxta Scotum. Sequuntur autem Div. Thomam communiter ejus discipuli super istum locum, et aliis infra citandis, Cajetanus, Capreolus, Ferrariensis, Nazarius, Navarrete, Bagnez, et Molina in hac quaestione, artic. IV, disp. II, Gillius lib. II, tract. IV, cap. VI, num. II. Potest autem mens D. Thomae elici ex duobus. Primo, ex illis locis in quibus expresse affirmat, quod in creaturis essentia, et esse differunt, nec potest ullo modo explicari de diversitate solum per rationem, sed a parte rei. Secundo, ex his conditionibus, quas attribuit existentiae, vel essentiae, quae tales sunt ut non possint inveniri nisi in his, quae realiter differunt.

V. Quantum ad primum, in primis in opusculo XLVIII, tractatu de substant. cap. II, expresse dicit: « Quod esse essentiae, et esse actualis existentiae differunt realiter, ut duae diversae res. » De Angelis idem affirmat in I parte, q. I, art. II ad III, et opuse. XLII, cap. V, ubi inquit. « Quod Angeli habent esse aliud ab ejus substantia, » et II contra gent.

cap. LV, et quodlib. II, art. III, ubi inquit: « Quod in qualibet creatura est aliud ipsa creatura, quæ habet esse et ipsum esse ejus, » et in II ad Annibaldum, dist. III, qu. I, art. I ad III, dicit: « Quod cum in Angelis differat substantia ab esse, erit ibi actus, et potentia non autem materia, et forma, sed forma, et esse. » Et generaliter de distinctione esse ab essentia videri potest opus. XV, c. VII et VIII, et qu. XXI de verit. art. V ad VIII, ubi inquit: « Non sequitur, quod substantia ipsa rei non dicatur esse per esse aliquod, quod ipsa non sit, et quia ejus esse non dicitur ens per aliquod esse aliud ab ipso: » et quodlib. III, art. XX: « Omnis alia res præter Deum est ens participative, ita quod aliud sit in eo substantia aliud ipsum esse participatum. » In his locis D. Thomas non loquitur de esse essentia, hoc enim manifestum est non distinguere ab essentia, loquitur ergo de esse existentia, quod ut diximus non est confundendum cum subsistentia.

VI. Neque est admittenda solutio, quod loquitur D. Thomas de distinctione ipsius esse ab essentia per rationem, et non realiter, vel loquitur de natura in statu possibili, et objectivo respectu sui ipsius ut in actu. Nam in primis hæc solutio non militat contra primum locum, ex opusc. XLVIII, ubi expressissime distinguit actum existentia ab actu essentia realiter. Deinde, quia in eisdem locis, in quibus affirmat suppositum in rebus immaterialibus non distinguere a natura, scilicet originative, et radicaliter seu ex parte principiorum individualium, ut jam supra exposuimus, affirmat in eisdem existentiam esse aliud ab essentia, ut constat in hac quæstione art. III, ad IV et in II, dist. III, qu. I, art. I et II et IV contra gent. c. LV ad IV, dicit: « Non differre in Angelis suppositum a natura, » et in II contra gent.

c. LI, affirmat: « Quod differt esse ab essentia in Angelis, » et in aliis multis locis, quæ supra retulimus agendo de distinctione suppositi, et naturæ. Sed quando dicit suppositum, et naturam non distinguere in spiritualibus, loquitur de distinctione reali, nam secundum rationem non solum in spiritualibus, sed etiam in ipso Deo constat distinguere. Ergo quando docet in eisdem distinguere, seu esse aliud existentia et essentia loquitur etiam de distinctione reali, alias valde æquivoce procederet, et in re idem diceret de esse existentia, et de subsistentia. Quod vero non accipiat D. Thomas existentiam pro subsistentia, vel modo essendi quando illam distinguit ab essentia, abunde ostendimus supra.

VII. Secundo, colligitur mens D. Thomæ de distinctione reali existentia ab essentia ex his conditionibus, quas attribuit utraque: nam in primis probat suppositum ipsum in Angelis distinguere a natura (non sumptum originative pro principio individuationis, sed formaliter pro ipso termino) quia esse distinguitur a natura, neque est de ejus conceptu, et tamen in supposito recipitur, ut constat ex ipso quodlibet II, art. IV. Ergo si suppositum distinguitur a natura (si quidem assumi potest natura, sublata subsistentia) a fortiori ipsa existentia distinguetur a parte rei, alias non bene colligeret D. Thomas. Et urgentius premitur hoc argumentum, nam inde maxime colligimus subsistentiam distinguere a natura a parte rei, quia humanitas in Christo est sine propria subsistentia, sed similiter secundum principia D. Thomæ etiam humanitas Christi est sine propria existentia, ergo distinguitur existentia ab essentia. Major est nota, et concessa: minor probatur, nam in quodlibet IX, art. III, inquit an in Christo sit unum tantum esse, et respondet,

quod est unum esse, quod est proprium suppositi, ubi non sumit esse pro subsistentia, seu supposito alias probaret dari in Christo unum esse, id est, unum suppositum, quia datur unum suppositum, quod esset plane nugari. Nec deberet dicere, quod est unum esse, quod est proprium suppositi, nam suppositum non est proprium suppositi, sed idem. Et idem docet D. Thomas in III, dist. VI, qu. II, art. II et II p. qu. XVII, art. II, ubi dicit in Christo non inveniri duplex esse, sed unum tantum. Nec potest dici, quod D. Thomas loquitur de existentia suppositi non de existentia naturæ, ita quod sint duæ existentia, sicut duæ entitates, et sic deficiente supposito, deficit existentia illius. Nam contra est, quia D. Thomas in illo quodlibet IX citato dicit, quod hoc esse, quod impeditur in Christo resultat ex his, ex quibus ejus unitas integratur, quod utique pertinet ad esse ipsius humanitatis; unitas enim, humanitatis est, seu naturæ. Imo expresse dicit D. Thomas ibi quod si humanitas separetur a divinitate, tunc humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino: ergo esse, quod nunc deest humanitati Christi in sententia D. Thomæ est esse etiam ipsius naturæ, et non solum esse substantia quasi sicut distinctum esse naturæ. Ac denique quia in illo articulo solum duplex esse agnoscit D. Thomas, primum est esse resultans ex his, ex quibus unitas substantia integratur, quod proprie est esse suppositi substantiale, aliud est esse suppositi attributum præter ea, quæ integrant ipsum quod est esse superadditum, scilicet accidentale, sicut esse album attribuitur Socrati. Ergo secundum D. Thomam non datur aliqua existentia natura distincta ab existentia subsistentia, sed unicum tantum esse resultans ex his, ex quibus unitas rei integratur: ergo est

unum esse pro tota substantia quando est una, etsi ex illis resultat: ergo distinguitur ab eis id quod resultat.

VIII. Denique, frequenter Div. Thomas ponit compositionem inter essentiam, et existentiam etiam in Angelis, et quod propterea essentia Angeli, et cujuscumque rei præter Deum est in potentia receptiva ad existentiam, sic enim in opusculo XV, cap. VIII, dicit: « Quod substantia rei habens esse est tanquam rei potentia receptiva hujus actus, qui est esse. » Quod non potest intelligi de essentia Angeli, vel alterius creaturæ objective, et in statu possibilitatis, quia sub hoc statu essentia non est receptiva existentia, sed potius exclusiva, quia est status oppositus statui existendi, ergo solum potest esse receptiva existentia quando est actu producta, et ipsi existentia subjecta, ita quod non per se ipsam est existens, sed per existentiam, cui subjicitur, et quam recipit. Et hanc rationem latius prosecuti sumus, quæst. VII physicor. art. IV, ubi videri potest.

IX. Præcipuum hujus sententia fundamentum in eo constituitur a D. Thoma, quod ex existentia est aliquid participatum in creatura, et non essentia ejus, vel pars essentia, sed ab agente derivatum, eique contingenter conveniens. In quo oportet tollere æquivocationem quando dicitur, quod essentia actualis, et in re posita distinguitur ab existentia, quod non debet sumi essentia actualis pro actualitate existentia reduplicative, sic enim dicere, quod essentia existens est existens, non est dubium, quod sit prædicatio essentialis, sed hoc in quibuscumque prædicatis accidentalibus dici potest, nam cum dico corpus est album, est prædicatio accidentalis, et sumitur ibi ly corpus pro corpore conjuncto albedini, non separato ab illa, si tamen

dicatur corpus album est album, ita quod exprimat album ex parte subjecti, redditur prædicatio essentialis. Quare cum essentiam esse existentem importet prædicationem accidentalem oportet ex parte subjecti, cum dicitur essentia est existens, sumere essentiam, ut concomitanter subjectam, et conjunctam existentiam, non ab illa separatam, et in statu possibilitatis, non tamen reduplicando, vel exprimendo actualitatem existentiam, sic enim redditur prædicatio essentialis essentia existens est existens. Sumendo ergo essentiam sine ista reduplicacione, et expressione, sumit D. Thomas hoc principium quod bene potest res aliqua recipere formam, seu actualitatem, per quam reddatur existens, et ita non semper præsupponitur, et præcedit existentia in subjecto recipiente ad aliquid recipiendum, sed bene potest reddi existens per id quod recipit. Hoc si semel intelligatur tota ista quæstio nullius redditur difficultatis, constabit enim quomodo aliquid possit reddi existens per aliquid a se distinctum, et in se receptum.

X. Formatur ergo ratio D. Thomæ sic: Quia bene stat recipi in aliquo formam, seu actualitatem, per quam constituatur in esse, et quod non præsupponatur ex parte recipientis ipsum esse, ergo bene stat, quod esse seu existentia sit aliquid distinctum ab essentia. Antecedens in primis asseritur eisdem verbis a D. Thoma, opusc. xxxi, in principio, ubi inquit: « Quod secundum hoc differt materia a subjecto, quia subjectum est id quod non habet esse ex eo quod aliquid ei advenit, sed quod est per se, et habet esse completum, ut homo non habet esse per albedinem, sed materia dicitur id quod habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se habet esse incompletum, imo nullum esse habet, ut dicit com-

mentator in II de anima. Unde simpliciter loquendo forma dat esse materiæ, accidens autem non dat esse subjecto, sed subjectum accidenti. » Deinde, hoc ipsum probatur ex ipso conceptu formæ substantialis, quæ ex ipsa propria ratione talis formæ non substantatur in esse a subjecto, id enim proprium est formæ inhærentis, ergo ad sui receptionem non requirit esse in subjecto quasi ab ipso recipiat, sed solum, quod subjectum sit capax ipsius esse, quod per formam præbetur. Solum autem est duplex forma, scilicet substantialis, et accidentalis, ergo duplex esse scilicet substantiale, et accidentale, sed substantiale esse hoc ipso, quod substantiale est, est primum esse, et simpliciter esse, ergo ex proprio conceptu non debet advenire subjecto, in quo præsupponitur esse, sed potius dare illi ipsum primum esse, alias non daret esse simpliciter, et primum, sed semper daret esse secundum, seu superadditum, quod est esse accidentale. Et confirmatur ex ipsa generatione substantiali, nam per illam ita producit primum esse rei substantiale, quod nullum esse talis rei præsupponitur, alioquin si præsupponeretur aliquid esse in actu in ipsa re quæ generatur, nulla esset via distinguendi generationem substantialem ab alteratione. Et dico in ipsa re, quæ generatur, quia in corrupta, quæ præcedit, existentia supponitur, sed corrumpitur, et in materia, quæ manet invenitur capacitas ad habendum esse formam, et sic distinguitur a creatione, quæ pure est ex nihilo, et sine ullo subjecto. Si autem supponatur materia existens, et cum existentia sua permanet in re genita, ergo generatio substantialis non generat primum esse, et simpliciter esse, nec habemus unde convincamus antiquos philosophos qui non distinguebant

alterationem a generatione, eo quod non agnoscebant subjectum aliquid quod non præsupponeretur in actu, et existens, et consequenter per adventum formæ non accipiebat esse primum, quod est esse simpliciter, ergo ut hæc falsitas antiquorum radicatus evellatur, oportet in hoc principio convenire, quod aliquid potest per formam advenientem recipere substantiale, et primum esse, seu esse simpliciter, ut generatio substantialis stabiliatur, alioquin nunquam præcluditur via illi falsitati, quod generatio non distinguitur ab alteratione, si ponitur subjectum actu existens ad ipsam substantialem generationem. Dicere autem quod non supponitur subjectum completum, sed incompletum, non evacuat difficultatem: tum quia hoc ipso, quod format supponat esse incompletum non dat primum esse simpliciter: tum quia hoc restabat probandum contra antiquos philosophos, quod daretur tale esse incompletum, quod conjunctum cum altero incompleto faceret unum esse per se, et primum simpliciter, nam ipsi negabant formas substantiales, quia dicebant subjectum generationis esse ens actu, et ita non requiri, nec dari formam, quæ præbeat primum esse, si autem supponit primum esse, et solum superaddit aliud, dicunt non esse formam substantialem, sed accidentalem. Ergo probare antiquis generationem substantialem distinctam ab alteratione, quia supponitur materia habens esse actu incompletum, et forma substantialis dat illi esse incompletum, sicque ex utroque esse fit unum completum, est supponere, quod dantur formæ substantiales incompletum esse dantes, quod ipsi negabant, non probare generationem substantialem, quia primum, et substantiale esse producitur.

XI. Denique, hoc ipsum probatur,

quia nulla apparet repugnantia, aut inconveniens, quod aliquid existat per existentiam sibi superadditam, et in se receptam, hoc enim non repugnat ex parte ipsius recipientis, quia ad recipiendum sufficit existentia concomitans, ita quod nunquam in re subjectumiciens careat esse, non tamen requiritur quod ex se præhabeat esse, et consequenter non repugnat ex vi causæ recipientis, seu ad exercendum istam causalitatem recipiendi, quod præcedat esse ex parte ipsius recipientis, sed potest bene intelligi quod habeat illud per formam receptam si quidem non requiritur existentia recipientis, sed capacitas ad existendum dummodo comitetur ipsa existentia, habita tamen per formam, et non ex vi materiæ. Et ratio hujus est, quia nihil recipit ratione actus, quem habet, sed ratione potentiæ ad id quod non habet, ergo ratio recipiendi non est esse, sed capacitas, et potentia. Et hoc ideo quia causalitas materialis magis ordinatur ad proprium esse, et commodum recipientis, quam ad dandam aliis, ad hoc enim recipit, ut habeat aliquid esse, causa autem, quæ causat recipiendi, et non dando ex vi suæ formalis rationis non requirit esse, sed capacitatem ad esse, si autem recipiat sustentando, et dando esse sicut substantia accidenti non est præcise recipere, sed sustentare, et firmare in esse; et ideo ad hoc prærequiritur esse actus. Quando autem recipitur non dando, sed pure recipiendo, sufficit capacitas non autem actualitas existentiam, hanc enim non præbet tale subjectum, sed solum potentialitatem ad quam communicandam non requiritur actualitas, sed solum potentia, et capacitas, sufficit autem concomitari existentiam, ita ut nunquam in re inveniat sine illa, sicut nunquam invenitur sine forma. Ergo si